

488. III. Poenitentia ut Sacramentum (de qua sola hic agitur) est Sacramentum N. L. institutum a Christo ad peccata post baptismum commissa remittenda vere contrito et confessio per absolutionem Sacerdotis. Quod sit Sacramentum, est de fide, ut patet ex *Trid. sess. 14. Can. 1. de Sacramento Poenit.*: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiae Sacramentum non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, anathema sit. Confirm.* Poenitentia habet omnia requisita ad verum Sacramentum. 1. Adest *signum sensibile*, scil. confessio ex parte poenitentis, et absolutio ex parte Sacerdotis. 2. Habetur institutio divina hujus signi, imo et mandatum hujus ritus *Joan. 20. v. 21. Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* De hoc *Trid. sess. 14. Can. 1. ait: Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecepit instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum S. etc.* Promissio potestatis absolvendi insinuatur *Matth. 16.*, ubi Christus promisit Petro, se illi daturum claves regni coelorum, et quocunque ligaverit aut solverit super terram, sit in coelis ligatum et solutum: idem promissum extendit ad Apostolos *Matth. 18.* Hinc potestas Confessarii vocatur etiam *potestas clavium*, quae duplex est, scil. remittendi vel retinendi peccata. 3. Adest promissio invisibilis gratiae, scil. remissio peccatorum: *remittuntur eis.* Unde si *quaeras*, in quo genere signi hic ritus a Christo sit institutus? R. In genere judicii reconciliativi. Differt poenitentia a judiciis forensibus per hoc, quod illa tendant ad puniendum reum, sintque judicia vindicativa, poenitentia vero ad absolvendum reum, sive ad reconciliandum peccatorem cum Deo, quem offendit. Porro *Trid. sess. 14. Can. 9.* ita definit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium promuntiandi, et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum ... anathema sit.* Ex his colligitur differentia inter poenitentiae virtutem et Sacramentum, scil. poenitentia *ut virtus* includit tantum tria: 1. Dolorem et detestationem peccati commissi. 2. Resipiscientiam sive propositum non peccandi. 3. Satisfactionem pro peccato. Ut autem est *Sacramentum*, praeter haec includit ex institutione Christi confessionem, absolutionem, et satisfactionem non ad arbitrium poenitentis, sed dictatam ab absolvente.

489. IV. *Materia remota* Sacramenti poenitentiae sunt peccata commissa post baptismum: *materia proxima* sunt actus poenitentis, scil. dolor, confessio, satisfactio: dolor quidem et confessio sunt partes essentiales, satisfactio vero est pars integralis. *Forma* est absolutio. Vide *Trid. sess. 14. C. 3.* *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos. *Trid. ibid. C. 6.* et *Can. 10.* *Effectus* hujus Sacramenti sunt remissio culpae et poenae tum aeternae, tum temporalis saltem quoad partem: item recuperatio et augmentum gratiae sanctificantis una cum specialibus auxiliis, sive gratis actualibus ad evitanda peccata, ad vincendas tentationes et ad proficiendum in virtutibus. Adde ex *Trid. sess. 14. C. 3.*, quod reconciliationem cum Deo in iis, qui cum devotione hoc Sacramentum percipiunt, conscientiae pax et serenitas cum vehementi consolatione consequi soleat. His praesuppositis agemus in seqq. paragraphis de officio poenitentis.

§. II. *Principia practica de primario officio, sive praecipuo actu Poenitentis, h. e. de Dolore.*

490. Princ. I. *Ad valorem et effectum Sacramenti Poenitentiae requiri-*

tur contritio formalis vel perfecta, vel imperfecta, interna, supernaturalis, universalis saltem respectu mortalium, appretiative summa, et efficax sive conjuncta cum serio proposito non peccandi.

Dixi primo, requiritur contritio, h. e. dolor animi et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, ut docet *Trid. sess. 14. C. 4.*

491. Dixi secundo, *formalis*, h. e. talis detestatio, quae excludat peccatum ut praeteritum, velitque illud nunquam fuisse commisum, talisque dolor, ut contristetur animus de peccato apprehenso ut praesente; *formalis* autem expresse ideo requiritur, quia *Trid. sess. cit. Can. 1.* definit, contritionem esse partem hujus Sacramenti, quam *C. 4. cit. definiverat* esse dolorem ac detestationem peccati, adeoque intelligit contritionem formalem, non virtualem, qualis includitur in actu amoris Dei. *Confirm.* ex eo, quod sine contritione formalis nec homo dicatur poenitens, nec confessio sit vera et ordinata sui accusatio ad reconciliandum offensum. Hanc sententiam *Amicus, Tannerus, Dicast., Platelius* hic n. 63. vocant certam. *Suarez* in 3. p., *D. Th. D. 20. Sect. 1.* putat, oppositam esse hoc tempore improbabilem et temerariam, quae docet, sufficere voluntatem confitendi et recipiendi absolutionem, dummodo poenitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhaereat; eoquod (ut cum *Sylv. V. Confessio* quidam ajebant) ipsa voluntas confitendi sit quaedam virtualis poenitentia, quia est voluntas abjiciendi peccatum et recuperandi divinam gratiam.

492. Dixi tertio, *vel perfecta, vel imperfecta.* *Perfecta* est, quae elicitor ex motivo charitatis theologiae, sive ex amore benevolentiae, v. g. *Doleo, quod peccando Deum offenderim, quem tamquam summum bonum propter se ipsum super omnia diligo.* Haec perfectior est dispositio, sed non necessario requisita ad Sacramentum poenitentiae. *Imperfecta* (quae etiam attritio dicitur) est, quae juxta *Trid. l. c. C. 4.* communiter elicitor vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu, v. g. *Doleo quod peccaverim, quia peccando rem turpem, rationi ac virtuti tam repugnantem feci, vel quia infernum (peccando mortaliter) aut alias graves poenas a Deo justissimo peccatorum vindice promeritus sum.* Haec sufficit ad Sacramentum poenitentiae. *Prob.* ex *Trid.* quod sess. 14. C. 4. docet, attritionem, quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad justificationem perdere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponere: neque potest intelligi, quod remote tantum disponat, quemadmodum actus aliarum virtutum; quia sic etiam disponit extra Sacramentum; ergo in Sacramento disponit proxime. *Confirm.* 1. Idem *Trid. l. c. C. 3.* docet, contritionem in genere, prout praescindit a perfecta et imperfecta, esse materiam et partem Sacramenti, postea *C. 4.* dividit in perfectam et imperfectam agens constanter de partibus hujus Sacramenti: ergo satis clare docet, attritionem esse sufficientem partem poenitentiae sive eam sufficere ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtainendam. Hanc sententiam *Suarez* l. c. vocat hoc tempore, scil. post *Trid.* certam. *Pinthereau* pro sufficientia attritionis recenset 100 gravissimos AA. *Gormaz.* P. 1. post n. 446. refert plures, quam 160, qui sufficientiam attritionis tuentur. *Confirm.* 2. ex *Bened. XIV.* testimonio, qui circa controversiam de attritione, an necessario debeat includere amorem benevolentiae saltem inchoatum, *C. 13. L. 7.* saepius laudati operis de Synodo Diocesana sub finem ita habet: *Cum itaque versemur in quaestione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maii 1667. sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae preecepit: „ut, si deinceps de*

„materia attritionis scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, „vel praedicabunt, aut alio quovis modo poenitentes aut scholares, caeteros „que erudent, non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae „aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessi- „tatem aliqualis dilectionis Dei in privata attritione ex metu gehennae con- „cepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dic- „tae dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.“ Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis aut instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate: adhuc quippe sub judice lis est; adhuc impune prouna et altera sententia dimicatur. Infero (contra Ludov. Habert, qui in sua Theol. dogm. et mor. tom. 6. de Poenit. c. 8. §. 4. ait: *Opinio asserens, attritionem ex gehennae metu conceptam non sufficere in Sacramento, nisi includat initialem saltem charitatis amorem, sola secura est, et in praxi sequenda*) infero, inquam: ergo sententia negans, ad attritionem requiri initialem amorem bevolentiae, satis secura est et in praxi tuta, alias Summi Pontifices sine certo animarum periculo non possent permittere eam doceri, aut practicari.

493. Si quaeras, quomodo attritus incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem, ut requirit *Trid. sess. 6. C. 6.?* R. Tripliciter incipit. 1. Peccatorem se esse intelligens, divinae justitiae timore, quo utiliter concutitur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigitur fidens Deum sibi propter Christum propitium fore (ecce primum amorem initiale). 2. Desiderat, adhibendo media praescripta, scil. confessionem sacramentalem, a fonte omnis justitiae in se derivatum iri justitiam (ecce alterum gradum, sive actum amoris initialis, quo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem). 3. Proponit inchoare novam vitam et servare divina mandata (ecce tertium gradum amoris initialis). Quod si enim ille sit, qui diligit Deum, qui habet mandata Dei et servat ea *Joan. 14.*, profecto etiam ille incipit diligere Deum, qui serio incipit servare divina mandata. Praeterea ipse dolor et detestatio peccati includit aliquem amorem, cum peccator detestando peccatum se avertat a creaturis, et convertat ad Deum tanquam suum summum bonum, et suam beatitudinem. Plura vide in *Theol. Schol.* in *Tract. de Poenit.*, item *P. La Croix L. 6. P. 2. a. n. 784.* usque ad n. 877., *Cardin. Gottum Theol.* tom. 3. in 3. *P. D. Th. q. 4. de Contrit.* Dub. 4. §. 1., *Scotum Academicum Claudii Frassen.* Tom. 10. p. 563. Si quis tamen sit, cui haec aliaque argumenta, quae pro hac sententia afferuntur, non sufficient, ut eam practice tutam judicet, is tenetur utique ad eliciendam contritionem, ne Sacramentum, suo judicio, exponat periculo nullitatis. Neque ideo (uti subnecit laudatus Pontifex l. c.) prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut poenitentes ad veram et perfectam contritionem horrentur et excitant: tum quia hic actus est perfectior Deoque gravior, tum quia talis supplet occultos defectus, qui possent esse vel ex parte ministri, vel ex parte poenitentis, tum quia actus charitatis saepius in vita eliciendus est. Illud vero hic negamus et pernegamus, quod indignus sit absoluzione sacramentali, qui ex metu gehennae, aut aliarum poenarum a Deo infligendarum de peccatis dolet cum spe veniae, et proposito non peccandi de caetero.

494. Dixi quarto, interna: alias enim non esset dolor animi: ergo nec contrito, sed simulacrum contritionis: *Scindite corda vestra*, ait Dominus per *Joelem C. 2.* Quamvis autem saepius ex sincero interno dolore oriatur dolor sensibilis in appetitu sensitivo, ille tamen necessarius non est, hoc ipso, quod contrito juxta *Trid.* sit animi dolor; animus enim mentem et voluntatem, non appetitum significat; ideoque frustra et vane anxii sunt,

qui sincere ex motivo supernaturali dolent, nec tamen altiora cordis suspiria trahunt, aut lacrymas fundunt etc.

495. Dixi quinto, *supernaturalis*; quia dolor ex motivo mere naturali et solis naturae viribus elicitus nihil confert ad obtainendam justificationem; nihil enim mere naturale conductit ad vitam supernaturalem: est autem attrito mere naturalis, dum quis dolet de peccato ob infamiam ortam ex peccato, vel ob poenas temporales, respiciendo eas solo lumine naturali. Patet ex *Trid. sess. 6. can. 3.* supra n. 487. cit. Adde propos. 57. ab *Innoc. XI.* damnata. Ad hoc, ut dolor sit supernaturalis, praeter adjutorium gratiae divinae requiritur, ut ex motivo supernaturali eliciatur, quod scil. lumine fidei supernaturali, sive fidei theologica creditur, v. g. si doleas de peccato propter poenas ut infligendas a Deo justissimo vindice, vel si doleas ob turpitudinem peccati ut oppositam virtuti supernaturali perducenti ad beatitudinem supernaturalem, ut ait *Suar. Disp. 5. de Poenit. Sect. 2.* vel si apprehendatur haec turpitude ut opposita divinae voluntati, ut ait *Lugo Disp. 5. de Poenit. n. 142.* Quod attrito ex timore gehennae elicita possit esse supernaturalis, patet ex propos. 14. ab *Alex. VIII.* damnata: *Timor gehennae non est supernaturalis*: item ex sequenti 15. ab eodem damnata. *Trid. sess. 14. can. 5.* anathematizat eum, qui dixerit, dolorem de peccatis ob amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem timorem, nec preparare ad gratiam: atqui ad hanc non posset preparare, nisi esset supernaturalis: ergo.

496. Dixi sexto, *universalis*: ita ut dolor se extendat ad omnia peccata mortalia commissa ex motivo omnibus etiam oblitis communi: quia nullum peccatum remittitur sine dolore, nec unum mortale remittitur sine alio: ergo ut remittantur mortalia, dolor se debet extendere ad omnia, non quidem hoc sensu, quod poenitens debeat necessario tot distinctos actus doloris elicere, quot commisit peccata, sed quod debeat elicere dolorem ex motivo supernaturali communi omnibus a se commissis peccatis. *Sporer de Sacram. P. 3. C. 2. n. 88. Confirm. 1. ex Ezech. C. 18.* *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia paecepta mea, vita vivet.*

497. Dixi septimo, quod contrito debeat esse *appretiative*, non vero intensive *summa*. Est autem appretiative summa, quando poenitens peccatum plus detestatur, quam omnia alia mala, eo quod sit malum gravissimum hoc ipso, quod sit offensa Dei vel tanquam justissimi vindicis, vel tanquam summi boni. *Ratio* hujus conditionis requisitae est: quia alias voluntas non averteretur absolute, et pro omni casu a peccato. Quod autem non debeat necessario esse summa intensive, patebit infra n. 500.

498. *Principium II.* Praeterea dolor debet esse *efficax*, sive *conjunctus cum serio proposito non peccandi de caetero*, et peccatorum occasiones proximas fugiendi etc., quia alias voluntatem peccandi non excluderet, ut *Trid.* expresse requirit *sess. 14. C. 4.* convenienter *S. Scripturae Ezech. C. 18.* *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus paevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* An semper necessario requiratur propositum formale, mox dicetur in resol. Cas.

Resolvuntur Casus.

CASUS I.

Joanna pia matrona de dolore requisito ad confessionem anxia conque- ritur coram Sacerdote, quod intensiorem dolorem de morte filii sentiat, quam

de peccatis, ac proinde dolet, quod non doleat sufficienter de peccatis. Praeterea se accusat, quod forte nunquam habuerit dolorem supernaturalem.

499. Q. I. An Joanna in hoc casu censenda sit habere sufficientem dolorem? R. Ex supposito, quod ex motivo supernaturali vere elicuerit dolorem cum conditionibus supra requisitis et cum proposito, re ipsa censenda est habere dolorem *appretiative* summum. *Nec refert*, quod ob mortem filii magis sensibiliter tristetur aut lacrymetur: sensibilis enim iste dolor non oritur ex eo, quod judicet, mortem filii majus esse malum, quam peccatum, sed quod vivacius et magis sensibiliter repraesentetur et apprehendatur, et sensibus magis sit proportionata mors filii, quam peccati malitia: inde est, quod potentias magis moveat, quam malitia peccati. Porro de dubiis et scrupulis circa dolorem vide P. I. n. 54. et 130.

500. Q. II. An requiratur certa aliqua intensio aut duratio doloris? R. *Negative*: quia substantia contritionis ejusque dignitas consistit in appretiatione peccati tanquam offendae Dei super omne malum; vel in appretiatione Dei super omne bonum; quod autem magis, minusve sit intensa, est illi accidentale, ideoque sufficit, si habeatur vis et substantia contritionis, licet non adsit id, quod ei accidit quandoque. Unde non requiritur *primo* intensio doloris *absolute summa*, h. e. tanta, quantam homo per totum conatum sibi possibilem elicere potest, ut voluit *Adrianus* in 4. q. 2. de Poenit. Vel enim intelligitur summus conatus, qui solis naturae viribus elici potest: et hic non pertinet ad justificationem; vel intelligitur ille, quem voluntas adhibere potest cooperando divinae gratiae. Ecquis statuet terminum, quo posito voluntas non possit majorem conatum adhibere cum gratia Dei? Praeterea haec sententia, quam *Suarez de Poenit.* D. 4. Sect. 4. vocat improbabilem, imponit homini gravissimum onus, cum difficultiam faciat contritionem, sine Scripturae ac Conciliorum fundamento. *Secundo*, non requiritur intensio doloris *comparative summa* in sensu *Petri Soto Lect.* 14. et 15. scil. ut homo majore intensione doleat de peccato, quam de quolibet alio malo, et quam diligit quilibet creatum bonum. Quis enim dicet matri intensissime dolenti ob mortem unici filii, an dolor de peccatis sit comparative intensior? *Si dicas*: hic excessus et comparatio denotatur per particulam *super omnia*, quam omnes TT. requirunt. R. Ut supra: haec comparatio non consistit in intensione, sed in appretiatione, quae posita est in tali amore boni vel odio mali, ut si necesse foret, potius amoveretur voluntas ab amore alterius boni, vel odio alterius mali, quam illius, quod super omnia amare dicitur vel odio habere. Vide *Suarez l. c. Tertio*, neque requiritur certa duratio temporis ad hoc, ut contritio perfecta justificet extra Sacramentum, vel attritio disponat ad justificationem in Sacramento, sed simul ac fit, est sufficiens utrinque dolor: sicut consensus in peccatum mortale, statim ac fit, est peccatum mortale et destruit gratiam. Hinc *S. Leo Epist. 91. ad Theodorum recte ait*: *Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio*.

501. Q. III. Qua ratione dolor possit fieri sensibilis, nisi requiratur certa intensio? R. Hoc sensu fit sensibilis, quod signo externo scil. per ipsam confessionem, tensionem pectoris, petitionem Confessarii manifestetur; non autem eo sensu, quod debeat elici ab appetitu sensitivo. *La Croix L. 6. p. 2. n. 669.*

502. Q. IV. An sufficiens sit dolor Joannae, eo quod doleat, se non satis dolere? R. *Per se* loquendo et secundum sensum verborum non est sufficiens; quia dolor non qualiscumque, sed de peccatis, et quidem ex motivo supernaturali conceptus requiritur: atqui iste dolor Joannae se-

cundum verborum significationem non est de peccatis, nec ex motivo supernaturali, sed de carentia doloris ex anxietate, vel alia causa naturali: ergo. Dux, *per se*: quia frequenter poenitentes anxi et scrupulosi ita loquuntur bono sensu, scil. quod non sentiant proportionatum dolorem gravitati peccatorum, qualem optarent; ideoque hisce eximendus est scrupulus vel cum illis elicendo verum dolorem, vel quaerendo, an saltem animo doleant, quod Deum summum bonum offenderint, et voluntatem habeant non peccandi de caetero. *Laym. L. 5. t. 6. C. 4. n. 5.* ubi sic exponit sententiam *Sylvestri V. Confessio*.

503. Q. V. An continuo credendum sit poenitenti se accusanti, quod non habuerit dolorem sufficientem? R. Nisi poenitens certo affirmet, quod vel ex ignorantia, vel alia de causa omiserit dolorem, continuo non est credendum, sed prudenti Confessario incumbit querere et quidem ex rudioribus, an nesciverit elicendum esse dolorem, vel an ignoraverit modum eliciendi, vel an ex incuria sine ulla praeparatione vix templum ingressus properarit ad confessionale. Si poenitens unum ex his affirmet, satis manifeste Confessarius colligere poterit, veram esse accusationem omissi doloris. Si aliquo bene instructus ita se accuset, ex sequentibus signis sufficienter colligi poterit, an habuerit dolorem requisitum: 1. Si poenitens fateatur, se a juventute bene instructum fuisse necessariis ad rite confitendum dispositionibus. 2. Si recordatus fuerit, quod ante confessionem saltem aliquod tempus impendere soleat ad digne praeparandum animum. 3. Si poenitens saepius ex devotione soleat confiteri. 4. Si sit tenerioris conscientiae, vel saltem bonae voluntatis erga Deum, nec diu pravis consuetudinibus inhaeserit, aut in proxima peccandi occasione vixerit; plura alia signa ex circumstantiis personae poenitentis, aliisve prudens Confessarius facile poterit colligere.

CASUS II.

Joachim de valore confessionis anxi domi plerumque se disponit, examinando conscientiam, eliciendo dolorem et propositum, postea accedens ad templum in via colloquitur cum aliis; in templo nihilominus statim accedit ad Confessarium: subinde tamen ante absolutionem renovat dolorem et propositum: post absolutionem recordatur peccati, quod mox confitetur sine novo dolore.

504. Q. I. Quomodo dolor beatum esse connexus cum absolutione: et an dolor Joachimi sufficienter fuerit connexus? R. Ad *primum*. Debet esse connexus vel physice, vel saltem moraliter: physice connectitur, quando non tantum ante confessionem et absolutionem, sed sub ipsa adhuc absolutione actus doloris ponitur; hoc modo dolor censemur perdurare *in se*. *Moraliter connectitur*, quando dolor physice praeteritus perdurat in suo effectu usque ad absolutionem, v. g. dum poenitens, postquam elicuit dolorem, accedit ad confessionale, confitetur, petit absolutionem; in his actionibus censemur virtualiter permanere dolor, quamvis physice actus doloris praeterierit. Quamdiu autem dolor physice praeteritus censi possit moraliter durare, pro praxi facile statui nequit. Merito censemur *Stoz l. c. p. 2. n. 50.* nimis laxam esse sententiam, quae dicit, sufficere dolorem ante unum alterumve annum elicitem, dummodo non sit retractatus. Alii idem concedunt, et si intercedant quatuor, quinque, aut plures dies. Sed et haec sententia *Patri Herzog de munere Confessarii C. 3. n. 61. et P. Stoz l. c. n. 51.* videtur minus tuta, et in praxi omnino illicita; cum dolor per tantum temporis intervallum facillime et quasi inadvertenter possit revocari per actum contrarium, et ita Sacramentum frustrationi exponi. Accedit

quod, cum sententia contraria non accedat ad probabilitatem, vi propositionis primae ab *Innoc. XI.* damnatae illicium videatur, illam sequi. Vide *P. Carden.* in cit. propos. 1. *sequi proinde malum tutiorem* (subnectit ibid. *P. Herzig*) quae censem, unam, duas aut quatuor horas, vel ad summum unum diem ac noctem non destruere moralem connexionem, ex supposito, quod dolor nullo actu contrario sit revocatus: in hac tamen etiam intercapidine, praesertim si negotia quaedam disparata, e. g. oeconomica longiora intercessissent, consultius existimo, saltem in fine confessionis subiungere: *De his et omnibus peccatis meis doleo, Deum summum bonum a me per illa fuisse offensum.* Vid. *Lessum* in Auct. V. *Confessio*, Cas. 3., *Sporer* et alios. De dolore pridie confessionis elicito ait *Gobat* in Exper. T. 6. n. 160., valde probabile esse, talem dolorem non sufficere, si sine ulla intentione aut cogitatione ad crastinam confessionem fuerit elicitus; tunc vero sufficere, si cum tali intentione fuerit conceptus dicendo: *Cras volo confiteri, ideoque jam me volo examinare, dolorem et propositum elicere, quia eras forte non satis temporis suppetet.*

Ex his patet responsio ad secundum, quod dolor a Joachimo domi conceptus adhuc moraliter fuerit connexus cum confessione; nec sufficiens connexionis fuit interrupta per brevia colloquia in itinere ad templum, ex supposito, quod non fuerint peccaminosa. *Neque obstat*, quod in aliis Sacramentis major requiratur connexionis materiae et formae, quia poenitentiae Sacramentum est institutum in modum judicii, quod facilius patitur moraliter aliquam inter dolorem, accusationem et absolutionem.

505. Q. II. An dolor debeat referri ad confessionem, sive elici ex intentione confitendi? R. Tutius est dolorem ita elicere, adeoque cum agatur de parte Sacramenti poenitentiae, in praxi potius suadendum est, ut referatur dolor ad confessionem, sic plerique vel virtualiter, vel formaliter secum ita poenitentes statuunt: *Quia volo confiteri, prius dolebo de peccatis.* An vero necessarium sit, ut contrito elicatur ex intentione confitendi, utrinque a TT. defenditur. Affirmant *Praepos.*, *Bonac.*, *Dicast.*, *La Croix* l. c. n. 687. eoquod dolor sine relatione ad confessionem nequeat esse pars futurae confessionis; sicut ablution facta sine intentione baptizandi non esset pars baptismi, etiamsi postea ablutionem istam quis vellit referre ad baptismum, solam pronunciando formam. E contra *Reginald.*, *Lugo*, *Tambur.* de Confess. L. 1. C. 2. §. 3, *Gobat* l. c. n. 115., dicunt id non esse necessarium, sed sufficere, quod dolor praecedens per voluntatem consequentem eo referatur, quamvis non renovetur. *Ratio* horum est, quod *Trid.* explicans conditiones doloris nihil insinuat de ista relatione. Praescindendo a speculatione utriusque sententiae in praxi tenendum, quod poenitens non debeat esse contentus eo solum dolore, quem ante praeparationem ad confessionem alia ex occasione forte elicuit; non deerit breve, sufficiens tamen spatium elicendi novum dolorem, nec deerit gratia divina; nec aliunde prudens excusatio poterit allegari. Negativa tamen sententia serviet scrupulosis, qui continuo timent, ne dolorem in ordine ad Sacramentum poenitentiae elicuerint, quia etsi actualiter et formaliter intentionem dolendi in ordine ad absolutionem expresse non habuerint, implicite tamen eam intentionem habuerunt se praeparando ad confessionem; si enim ante confessionem quis interrogasset: *Cur jam doles Deum a te esse offensum peccatis?* certe respondisset: *Quia volo confiteri, et absolviri a peccatis.*

506. Q. III. An sufficiat dolorem adhuc elicere saltem ante absolutionem? R. In praxi quidem dolor elicendus est ante confessionem; tum quia periculorum est, ne intra breve illud tempus, quod intercedit inter

confessionem et absolutionem, poenitens vel obliscatur dolorem, vel turbatus ex quaestionibus Confessarii non seruum elicit: tum quia praemissus dolore confessio magis procedit ex displicantia et detestatione peccatorum. Nihilominus juxta communiorum sententiam sufficit, si dolor adhuc elicitur ante absolutionem. *Ratio* desumitur ex communi sensu tum *Contentum*, qui etsi dubitent, an sufficientem dolorem elicuerint ante confessionem, existimant adhuc se satisfacere, modo adhuc serio ante absolutionem doleant; tum *Confessariorum*, qui non jubent repeti confessionem, si poenitens dolorem non praemiserit, sed ad eum adhuc eliciendum disponunt. *Confirmatur* ex eo, quod dolor etiam subsequens confessionem, sufficienter ita eam afficiat, ut fuerit et maneat dolorosa, non mere historica sui accusatio. *Suarez*, *Bonac.*, *Sporer*, *Gobat*, *Stoz* l. c. n. 48. et plures alii apud *La Croix* l. c. n. 698. contra *Palao*, *Coninck* et *Laymann*, qui tamen non videtur nobis esse plane contrarius; quamvis enim L. 5. t. 6. C. 4. n. 4. asserat, ad valorem Sacramenti poenitentiae requiri, ut dolor internus aliquo modo antecedat confessionem externam, ut sit dolorosa sui ipsius accusatio tendens ad reconciliationem cum Deo, postea tamen modum illum aliquem exponit dicendo: *Quamobrem pro maiore securitate consuetum ac consultum est, praemittere confessionem generalem* (scil. per formulam consuetam: *Confiteor Deo omnipotenti etc.*) *ut, si ante dolor ex generali motivo conceptus non erat, saltem tunc concipiatur.* Ibid. refert sententiam *Suaresii*, quod confessio per consequentem contritionem sufficienter consummetur in ratione accusationis sacramentalis: et statim subdit: *Ad hoc vero omnino necessarium est, ut dolor animi post peccatorum narrationem habitus externo aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram Sacerdote et absolutionem petendo seu expectando; tale enim signum relatum ad peccata paulo ante explicata, a quibus poenitens absolutionem petit, veram rationem sacramentalis absolutionis habet.* Ergo. *Laym.* adhuc concedit satis esse, si exprimatur aliquo signo dolor ante absolutionem.

507. Q. IV. An dolor debeat praecedere absolutionem? R. *Affirmative*; quia peccator sine dolore non est dispositus ad remissionem peccati: ergo absolutione frustraretur suo effectu non sine sacrilegio. *Confirm.* Per absolutionem completerur hoc Sacramentum quoad essentialia; ergo dolor subsequens non potest esse pars constitutiva illius. Ita *Stoz* l. c. n. 47. et *Bonac.* cum communi. *Lugo* hic n. 48. monet, ne in praxi quis audeat sequi aliquorum sententiam, quod sufficiat dolor, si elicatur sub absolutione, modo ante finem absolutionis finiatur, quia Sacramentum sic facile evanescit periculo nullitatis.

508. Q. V. An Joachim, dum post acceptam absolutionem peccatum omissum statim confitebatur, etiam novum dolorem debuerit elicere? R. Probabilissima est sententia, quod *necessario* non sit elicendus novus dolor; quia prior dolor, quem poenitens ex motivo universalis de omnibus peccatis, ideoque etiam de oblitis, elicuit, perdurat adhuc moraliter vel potius virtualiter in tenui reminiscencia, imo in iisdem actibus poenitentiae continuatis etiam post absolutionem (supponimus enim priorem dolorem non esse revocatum): ergo sufficienter afficit novam illam confessionem, quae rectius moraliter dicitur una confessio cum priore. In praxi tamen praestat novum elicere dolorem, ut tutius procedatur in iis, quae pertinent ad valorem Sacramenti. *La Croix* l. c. n. 713.

509. Porro *observa* I. Dolor et propositum de mortalibus revocatur per aliud mortale subsequens, non autem per actionem de se indifferenter. Si enim motivum doloris fuerit universale, illud non amplius curat,